



Ung

N-184

Occasionia N-184.
potissim in carminibus gratul.
vni vni
(Cafariana in alijs peregrata)
Intra peregrina. ~~184~~ 184a

184a



Un. Witt.

1736

84

RECTOR
ACADEMIAE VITENBERGENSIS
ABRAHAMVS
VATER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE
DOCTOR ANATOMES ET BOTANICES
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS AC SOCIETATVM
IMPERIAL. NATVRAE CVRIOSORVM ET
REGIARVM LONDINENSIS ET BERO-
LINENSIS SOCIVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.





nde venit Titan, et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius torrentem vergit ad Austrum,
Et qua bacchatur Boreas, gelidique Triones,

Hac tristes patuere minæ, totumque per orbem
Erupit metuenda lues. Nam rector averni
Inventor scelerum, conflagavit dira pericla,
Indixitque nefas mundo, sævumque minatus
Excidium cælo, congestas duxit ad instar
Titanum moles, dum sancta palatia cæli
Invidus affectat, belloque lacerare summum
Intentat Numen. Qui postquam turbida nutu
Signa dedit pugnæ, laxatis postibus orci,
Qua data parta ruunt, tenebrarum monstra nefanda
Et positis castris, miseris mortalibus una
Exitium mortemque parant, nullamque salutis
Spem superesse volunt. Hominum gens conscia culpæ,
Discrimen metuens, duplices ad sidera palmas
Rebus in angustiis tendit, sed turba profana,
Tartara nigra colens, dum cernit morte cruenta
Occubuisse DEVM, quem cælum vastus et orbis
Non capiunt, animis plaudit, cælesteque regnum
Jam putat esse suum Dæmon, iam mente superbus
Illudit populis, iam demens ante triumphum
Lætæ tropæa canit, jam Victor magnus Olympi

Et mundi Dominus dici cupit arbiter orci.
Ast ubi fama tulit, Christum rupisse sepulchri
Claustra sui, triduoque dato, post funera dira
Surrexisse necis, subito perculsa timore
Lurida castra fugam glomerant, orci que Penates
Exanimes trepidant, latebras dux quaerit Avernī,
Et, quo turgebat nimium, deponit inerrem
Invitus factum, nec spe, qua nifus in altum,
Dum lapsu graviore ruit, jam lactat alumnos
Victor enim mortis validas ferroque rigentes
Diruit inferni portas, & mœnia tetra
Regnaque tot claustris, tot communita catervis
Funditus evertit, servilia vincla Draconis
Injecit collo, stygiam cum plebe cohortem
Carcere squallenti clausit. Nuuc horrida turba
Sub juga missa tremuit, nunc agmina foeda triumpho
Cum duce lethifero, gravibus religata catenis
Ducuntur spectanda piis, nunc mortis acerba
Concussus languet stimulus, bellumque cruentum,
Pax comitatur ovans. Domito nigrantis Avernī
Hofte fero, Proceres coeli, sanctusque Senatus
Victori Christo, pedibus qui fidera calcat,
Decreto superum, condunt illustre tropæum,
Et coeleste caput claro diademate cingunt.

Devicti trepidant hostes, sed faucibus orci
Exemptus, gaudet raptam rediisse salutem,
Grex Domino sanctus, nec prisca pericula vitæ
Queis jactatus erat, metuit sub vindice Christo.
Hunc pia mens venerare Ducem partæque salutis
Auctorem celebres hymnis, & conscia recti,
Obvia victori venias, monimenta que sancti
Solvat obsequii, tua nunc altaria fument
Thure sacro, cadat & devoti victima cordis
Ante pias aras, & ne quæ forte supersint
Officii partes, victori digna tropæa
Pectoris æternum grati documenta futura
Exstrue cum plausu vera pietate subacto
Ne tamen æthereas tanti domitoris in ædes
Inculto venias vultu, virtute nitentem
Indue nunc sine labe stolam, Christique triumphos
Relligione colas, & sancti Numina Regis
Invicta reverere fide, memorique repone,
Quæ meritum Christi peperit tibi, munera, mente.
His moti rebus, CIVES, probitatis Alumni
Exemplo Christi, factis ostendite mores,
DONAQUE NOBISCVM MENSIS IMPONITE SACRIS

IPSO PASCHATOS FESTO

A. R. S. CIO 1000 XXXVI.


TPIS IOANNIS DAVIDIS SCHEFFLERI.

Ung. VI 184

NO 18
NO 18



Un. W. H.
1736
84



RECTOR
AE VITEMBERGENSIS
AHAMVS
ATER

IAE ET MEDICINAE
ATOMES ET BOTANICES
VS ORDINARIVS AC SOCIETATVM
ATVRAE CVRIOSORVM ET
LONDINENSIS ET BERO.
NENSIS SOCIVS

S ACADEMICIS

S. P. D.

